



Anus jam absolvitur undecimus, quod, post debitum Gloriosissimæ recordationis Electori JOHANNI GEORGIO II. luctum, terris nostris Musica redderetur. Inde cum ad consuetam NOVI CONSULIS gratulationem in Gymnasio nostro respiceremus, ipsum hoc MUSICÆ placebat omen, ut Potentissimo PATRIÆ. PATRI præfagium inde captaretur

POTENTIÆ, OPULENTIÆ, FELICISSIMÆ CONSTANTIÆ;

ut inclytis PROVINCIIS offerretur signum

PACIS, CONCORDIÆ, OBEDIENTIÆ;

ut nostræ Zittaviæ demonstraretur documentum

SANITATIS, AMOENITATIS, VOTIVÆ GRATULATIONIS.

Tantoq; gratior nobis ea nunc est recordatio, quod Regimen denuo aggressus idem Nobilissimus GIRISIUS, redditam post justa, Gloriosissimo JOHANNI GEORGIO III. soluta, Musicam, denuo secum afferre visus est. Ac proinde nostrum forte constaret officium, si, quicquid divina providentia repetere dignatur, repetitis etiam declamationibus veneraremur. Sed dum nobis, in argumento tam foecundo, semper commendata fuit novitatis gratia, non est cur VIRUM meritissimum, cui novas in regimine jam suscepto vires apprecamur, novis gratulandi formulis omnino defraudemus.

Et verò sæpius admirandi causam mihi dedit PRIMARIUM GYMNASII AUDITORIUM fenestris utrinq; dispositis ita situm, ut QUATUOR PRÆCIPUAS TURRES inde spectare liceat. Si enim hieroglyphicâ sapientiâ nihil caret, quod in civitate præ cæteris eminentissimum est: nobis id arridere potest omen, quod juvenibus, intra suam humilitatem constitutis, spem facit, fore ut eruditionis ea structura tandem in turres, ac in speciosam templi vel curiæ sublimitatem assurgat.

Sed ad solos meos juvenes pertinere non poterat, quod ubiq; conspicuum totius civitatis cultum redderet illustriorem: cum ipse Psalmus XLVIII. vers. 13, Urbis Hierosolymitanæ singularia deprædicaturus, clarissimis verbis exclamaret:

NUMERATE TURRES EJUS.

Nu-